



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

153. De Martyrio S. Bonifacij eiusque loco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

copum? non id dicamus quod omni ratione caret. Corruptius scribunt alij Chorepiscopum, quasi Episcopus fuisset in cantorum choro, ignorantes etymologiam nominis; non enim dicuntur Chorepiscopi à choro cātantium, sed à verbo græco Choros, quod significat regionem aut agros, quia in ijs solebant Chorepiscopi aliquas functiones obire. Fuit vero Eobanus verus Episcopus Traiecti, deinde Coepiscopus & comes Bonifacij dum vltimò pergeret in Frisiam ordinato primùm in Ecclesiâ Traiectensi Gregorio.

Quomodo autem dignitas, vt & nomen, Chorepiscopi ab Ecclesia sæpe damnata in Ultraiectensi Ecclesia permanferit, doctè explicat Molanus loco citato.

DISSERTATIO CLIII.

De Martyrio S. Bonifacij eiusque loco.

LVcrandarum animarum spiritus S. Bonifacij in grandèua etate nec tepescere potuit. Nam cum esset octogenarius in summa dignitate, honore, maximo in pretio apud Moguntinos & reliquos Germanos & Francos, ac locus quietis pateret, omnibus illis spretis, incenditur ad profectiorem grauem & periculofam in Frisiam, vt animas tenebris gentilium adhuc inuolutas in admirabile Christi lumen traduceret. De qua profectiōe Othlonus lib. 2. cap. 25. Paucis itaque, ait, diebus transactis navi cum conuiatoribus, ad huiusmodi iter electis ascendit, & Rhemi fluminis alueo differretur, donec aquosa Fresonum arua ingrediens, in stagnum

(quod

quod lingua eorum Almeri dicitur) sospes perueniret, vbi circumquaque pergens, verbum Domini cum fiducia prædicauit, Ecclesias ingenti studio construxit. Tantam autem gratiam Dominus famulo contulit, vt post paucos dies multa millia virorum ac mulierum cum Commilitone suo Chorepiscopo Eoban baptizaret, scilicet, per latas Frisiæ tam Orientalis, quã Occidentalis regiones discurrendo, vt sequenti capite idem significat. Quemadmodum verò Apostoli quos sacro regenerationis lauacro abluerant, altero Christiano sacramento, quod confirmationis Ecclesia vocat, initiabant Actorum octauo; idem eorum exemplo factitare S. Bonifacius statuebat & quia baptifatorum ingens numerus erat, in patentibus cãpis ei mysterio operam nauare commodius iudicabat. Illique operi certum diem promulgabat. Cumque dies præstitutus aduenisset, & ortus sol (phrasia est Othloni) altiores lineæ suæ gradus iam præoccupasset, tunc omnes, qui quasi filij à patre expectabantur, indigni ad accipiendam S. Spiritus gratiam, quæ ipso die per sacram confirmationẽ offerenda erat, super illos, versa vice pro amicis inimici, pro nouitijs fidei cultoribus noui lictores cum ingenti strepitu horrendoque armorum strepitu in Castra Sanctorum proruperant. Clericis & reliquis commilitibus per arma & vim irruentes repellere aggredientibus eos S. compescuit & sacra cõcione eos ad patientiam & Martyrij pro Christo lauream acceptandam animat & instigat; ipse verò ad munimentum spiritualis alyli confugit. Cõpleta ad suos salutari monitione, furens multitudo paganorum cum gladijs omniq; infesta armatura supereos irruit, eorumque corpora felici cæde cruentauit, ac omnia quæ ipsorum erant, auarè diripiunt. Super interfectores verò non dormiebat diuina ultio. Nam cum in spoliõrum partitione

partitione admodum dissiderent, tanta inter eos confestim ira flagrauit, vt eodem furore, eadem vesania, eisdem armis quibus antea Martyres iugulabant, semetipfos mutua condigna cæde necarent. Qui mutua clade supererant, Bonifacij libros, quos secum comportare consueuerat, per paludes aliaque obscura loca disperferunt, sed diuino nutu postmodum reperti, in Ecclesijs diutissime sunt reseruati.

Inter eos verò libros, narrante Othlono, repertus est S. Euangelij liber, quem beatus vir pro sanctitate sua secum iugiter ferre solebat. Hic ergò quamuis gladio acuto, vt adhuc ab inspicientibus probari valet, per medium incisus fuerit, nullius tamen litteræ integritatem eadem incisione perdidit. Quem, vt fertur, S. Bonifacius in illa hora, qua ad caput eius abscindendum vibrabatur gladius, habens in manibus, vel pro tutela capitis, vt multi solent, seu etiam pro clipeo spirituali, quem in libro tali esse credidit, percussori opposuit. In quo nimirum signa & miranda virtus Dei, & veneranda sanctitas beati Bonifacij potest agnosci. Mirabilius namque videtur, quod nulla incisi libri littera delebatur, quam si nullum incisionis stigma per ferientem gladium in libro reperiretur.

Locum Martyrij designat Othlonus: cum venissent ad flumen quoddam Borthne vocatum quod est in finibus eorum, qui rustica lingua dicuntur Oster & Westerriche &c. quid Oester & Westerriche sint explicuimus ad dissertationem 116. particulariùs locus designatur Dockomium situm in Oesterriche quod Borthne flumen olim alluit, oppidum modo insigne, vbi & conuentus, siue Monachorum, siue Clericorum in communi viuentium olim stetit teste Rixfrido in Epistola ad Ludgerum Episcopum Monasteriensem.

Monasteriensem. Fuit verò ibidem excitata Ecclesia in
memoriam SS. Pauli & Bonifacij, de qua sunt apud Sera-
rium ex Wione versus Alcuini :

Hic pater egregius meritis Bonifacius almis
Cum socijs pariter fundebat sanguinis undam.
Incljta Martyry sumentes stemmata sacri.
Terra beata nimis Sanctorum sanguine dives.
Transuolat hinc victor miles ad pramiam cali
Vltima cespitibus istis vestigia linquens.
Suadeo quapropter, curuato poplite supplex
Tu quicumque legis, terris his oscula fige.
Spesque tibi fiat lachrymis ascendere calum.
Hic potuisset.

Hic manet ille cruor, cuncto pretiosior auro
Membraque Calesti rore hac perfusa quiescunt.
Adiuuat hinc Paulus, Doctor Bonifacius inde,
Hæc illis quoniam constat simul auba dicata.

CÆterum Patribus nostris Ordinis Pramonstratenfis à
S. Norberto nouiter instituti in sanctitate & fructu
in populo, etiam contra Tanchelini hæresim, quæ in Vl-
traiectensem Diocesim irruerat, efflorescentibus, Con-
uentus ille, siue locus ad tumulum S. Bonifacij illis ces-
sit circa annum 1170. possederuntque vsque in annum
1580. quo in manus alienas cum reliquis Frisiæ Cœnobijs
deuenit.

F f f f

DISSER-